

## CAP. IX.

## DE MORTIFICATIONE.

**188.** — *Praenotandum.* — Noli extrinsecus, pecus quod mactes, inquirere; habes in te quid occidas. Macta elatum superbiae Taurum: macta gibbosum avaritiae Camellum: jugula olentem luxuria Hircum: sacrificia saginatum gulae Vitulum: obtrunca mordacem invidiae Molossum: dilacera pugnacem iracundiae Arietem: concrema ignavum pigrityae Asellum: has pecudes occide, et rite litasti Deo (A Lapide, in c. 12 *ad. Rom.*). In tota fere viae purgativae disquisitione multa tradidimus circa mortificationem, quae ad hunc locum reduci possent. Sed non abs re erit ordinatam de mortificatione notionem habere, cum ipsa, ut patet, non solum incipientibus necessaria et utilissima sit, sed et omnibus viatoribus perfectionis studiosis, ut constat ex Sanctorum praxi et exemplo. Errarent ergo, qui mortificationem negligerent, aut quasi nihili facerent, quia jam vere proficiunt in viis Domini. Purgandi, seu incipientes mortificationi praesertim incumbunt, tanquam quid ipsis proprium et principale ad gratiam conservandam et charitatem roborandam contra antiquos animae hostes quibus antea servierunt: sed

illuminati et uniti, mortificatione utuntur ne debilitentur, ne periclitentur, ne fervorem amittant, etc.

**189.** — *Definitio.* — I. Mortificatio est *quodlibet opus poenale, quod libere facimus vel patimur, ut mortui vitae pravae, bene de nova vivamus:* VEL: « *privati amoris extinctio ac divinae charitatis adeptio, sive suipsius abnegatio spontanea, fractio conservativa, violentia virtuosa, odium amorosum, ac salutaris perditio* » (Dion. Carth.): — VEL, juxta Alvarez: *spontanea, liberaque animae a vita carnali separatio et virium tam externarum, quam internarum, ab illicitis operibus dissolutio.* — Vocatur etiam *Crux, Mors, Odium sui, Jejuniium, Violentia, Renuntiatio, Abnegatio, Sepultura vitiorum, Castigatio, Afflictio.*

**190.** — *Divisio.* — I. Mortificatio est *Interna seu spiritualis, et Externa seu corporalis.* Illa internos sensus et potentias internas, scilicet malos vitiorum habitus, memoriam, intellectum et voluntatem refraenat: diciturque vulgariter *abnegatio interna:* ista corpus et externos sensus ad servitutem redigit, et vulgo *poenitentia* exterior vocatur. — II. Est *Necessaria* vel *Libera.* Illa cohibet appetitum ab illicitis, estque omnibus absolute necessaria ad salutem: *ista* abstinet a voluptatibus et quibusdam operibus licitis, plus minusve, juxta mortificati fervorem et voluntatem (quae debet, ut recte procedat, subjici voluntati Directoris). — III. Est *Activa* vel *Passiva.* Illa voluntarie *eligit* modum contrariandi amoris proprio interius vel exterius:



*ista* obvenientes occasiones mortificationis voluntarie patitur, sustinet et amplectitur. — IV. Tria sunt genera mortificationis. Primum, iniquitatis, per poenitentiam; secundum, carnis, per abstinentiam; tertium, voluntatis, per obedientiam (Hugo a S. Vict.). — NOTANDUM: *mortificatio non debet eadem esse pro omnibus, sed uniuscujusque statui magna discretionem accommodari*, juxta illud quod de poenitentia habet S. Bonav. (*divet.* tit. 2, c. 1): « Sicut talpa moritur in luce, et sub terra vivit; et sicut ignis, quem caetera animalia timent salamandram nutrit; et sicut homo sub aqua moritur, ubi piscis delectatur; sic eadem poenitentia non omnibus est injungenda, sed diversa diversis ».

**191. — Gradus mortificationis seu poenitentiae.**

— Aliqui distinguunt poenitentes seu mortificatos in *peregrinos, mortuos, et crucifixos*. *Primi*, necessariis ad vitam contenti, alia despiciunt et humana non curant, festinantes ad patriam pervenire. *Secundi*, solum quaerunt ut placeant Domino, et propriae et aliorum saluti incumbunt, tanquam mortui omnibus aliis rebus. *Tertii in cruce* tantum gloriantur. Omnes pro Deo laborant, omnes quae sursum quaerunt, omnes bonum certant certamen; sed primi quasi pro se tantum laborant, secundi pro se et proximo ob amorem Dei, tertii toti Deo specialissime dicantur, et laetantes exclamant: Vivo ego, jam non ego: vivit vero in me Christus!

**192. — Substantia mortificationis in eo praesertim consistit, ut inferior animae pars, seu appe-**

titus sensitivus superiori animae parti, id est, rectae rationi subjiciatur. Patet ex definitionibus et aliis supra dictis. Unde diversi mortificationis medii sunt veluti instrumenta quibus vetus homo destruitur, et novus quasi plasmatur et solide roboratur.

**193. — Necessitas mortificationis.** — Hic non praecise agitur de *mortificatione absolute necessaria*; sed de mortificatione quam servi Dei debent libenter suscipere ut proficiant in via Domini: unde certum est, et communi Patrum et Doctorum sententia probatum, quod interna externaque mortificatio necessaria est omnibus qui volunt ad perfectionem pervenire. Non enim ad hoc sufficit peccata vitare, sed requiritur ut anima longe fiat a delectationibus vanis et per voluntariam poenitentiam, et magis magisque purgetur et in sancto proficiendi proposito roboretur. Vita mollis et delicata non couitur cum crucis vexillo. Hinc — 1° « Tolle superflua et salubria surgant, utilitati accedit quidquid cupiditati demis. Demus operam putationi: putetur cupiditas, ut virtus roboretur » (S. Bern. *serm.* 58, *in Cant.*). — 2° Neque obstat, quod vitia jam quasi dempta sint et multus sit in virtutibus profectus: « Credite mihi, ait idem Bernardus (*sup. canon.* 358), et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccendantur extincta, sopita demuo excitantur. Parum ergo est semel putasse; saepe putandum est; imo, si fieri possit, semper, quia semper quod putari oportet, si non dissimulas invenies ». — 3° « Nisi nostras hic quotidie reseceamus et circumcidamus passiones, de-



teriores nos multo effici, quam fuimus dum in saeculo viveremus, perspicuum est » (Euseb. Emissen. *hom. 7 ad Monach.*). — 4° Ergo non recte antiqui religiosi externam mortificationem absque necessitate quasi relinquerent: « Non emollias ordinis rigorem, ut tanquam privilegiatus velis edere lautius, bibere sapidius, cubare mollius, loqui licentius, vigilare parcius, orare tenuius » (Petr. Bless. *ser. 31 de S. Aug.*).

**194. — Utilitas mortificationis** eruitur ex dietis, ex facilitate perfectionis animae per mortificationem tributa, ex consolationibus quibus Deus saepe recreat mortificatos, ex uberiori devotionis spiritu, ex efficacia salutari poenitentiae sive pro se, sive pro aliis peccatoribus voluntarie suscepta, etc., etc. — Hinc — 1° « Per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur » (S. Leo I, *serm. 2 de jejum.*). — 2° « Castiga corpus tuum, et Diabolum vinces; hoc enim modo Paulus adversus illum docuit nos esse pugnandum » (S. Aug. *in 1 Cor. c. 9.*).

**195. — Facilitas mortificationis.** — Mortificatio exigit quidem conatum et laborem, sed facilis evadit habenti bonam voluntatem.... Hinc quamvis quis ratione infirmitatis aut debilitatis non possit corpus suum durius tractare, potest mortificationi internae incumbere, curiositatem saepius reprimere, loquacitatem moderare, contradictiones quotidianas et humilia-tiones patienter tolerare, ab omni murmurationis specie abstinere, imo de cibis minus acceptabilibus

absque necessitate non verbum facere, calorem, frigus et intemperiem, quae vitari nequeunt, pro Deo cum pace libenter sustinere, sociorum defectus (salva charitate) tolerare, et in millibus quae frequenter occurrunt sese mortificare et abnegare. Qui enim peroptant pro Deo pati et per viam crucis ambulare, semper inveniunt facillimos mortificationis modos. Quapropter, quamvis natura repugnat, macti animi esto: incumbere propriae abnegationi, et senties dulcedinem spiritualis roboris et solatii. « Mortificatio in initio quidem difficilis est ac molesta: sed ubi quis aliquandiu in ea viriliter perstiterit, jam dono Dei facilis omnino multumque amabilis redditur » (Blosius). Et S. Bern. addit: « Mortificatio, seu affectuum castigatio, est quies animi ac tranquillitas, fecundissimusque virtutum fons existens ». Unde expedit ut omnes devoti valde fiant mortificationis veri amatores.

**196. — Fugiendi excessus.** — I. In mortificatione externa fugiendum a quodam quasi sensualismo hodie magis magisque tendente ad omnem fere externam mortificationem destruendam, ut alibi notavimus. Videant ergo devoti ne se ipsos decipiant: videant Directores, ne vigorem animarum quasi destruunt.... diligant et discipuli et magistri virtutem discretæ mortificationis, et magni faciant spiritum poenitentiae.... — II. Mortificanda est caro ne superbiat: sed non est exterminanda, ne deficiat (S. Bonav. *serm. 3 de dedic.*). Corpus non frangendum sed regendum (S. Greg. Magn.). Etenim « indiscreta mor-



tificatio est causa morborum » (S. Petr. Dam. l. 6, ep. 34). Unde director, praesertim qui est quasi naturaliter austerus, debet serio omnia considerare, antequam mortificationes corporales discipulis assignet. — III. *Ergo*: « Maceratio proprii corporis non est Deo accepta, nisi sit discreta: ut scilicet concupiscentia refrænetur, et natura non nimis gravetur » (S. Thom. 2, 2, q. 88, a. 2). — IV. Postulanda ergo a Deo verae discretionis gratia, ne deficiamus per defectum, neque per excessum impediamur. *Ergo damnanda haeresis pseudo-mysticorum temporum modernorum, qui mortificationem externam rejiciunt*. Tales enim in oppositum torquentes illud (1 *Tim.* 4, 8): « Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, » corporis mortificationem spiritui utilem esse negant: qui tamen textus juxta Chrysost., recte explicatur pro exercitatione corporis in stadio, vel juxta D. Thomam, si fiat sine pietate et spiritu mortificationis. Mortificatio appetatur non propter se, sed propter pietatem, ut monet S. Bonav. — HINC:

**197.** — *Regulae discretionis.* — Speciales regulae ad moderationem et utilitatem mortificationis sunt: — 1° Vitandi excessus, ut supra. — 2° Mortificationes non impediunt proprium officium aut exercitium aliarum virtutum. — 3° Vitandum vitium singularitatis.... — 4° Discretio in externa mortificatione procuranda ope Directoris. — 5° In interna, vera discretio est non paucis esse contentum, sed magis ac magis proficere (cave tamen ne turberis in

modo, etc.). — Unde 6° Ad majorem internam mortificationem cum gratia Dei comparandam, opus est *discretionem in modo*, id est, procedatur paulatim, per partes, et praecipue contra *passionem dominantem* (seu quae ad frequentiores defectus nos inducit). — 7° Discretio in mortificatione externa non est petenda a carne: « Sapiencia enim carnis inimica est Deo » (Rom. 8, 7): sed ope prudentiae christianae et regulati animarum zeli ex parte Directoris.

**198.** — *Media* et incitamenta ad mortificationem rite exequendam. — 1° Recordatio laborum et passionis quae Christus nobis relinquens exemplum, pro nobis sustinuit. — 2° Oratio, qua omnia faciliora evadunt. — 3° Firma resolutio. — 4° Assidua exercitatio. — 5° Amor Dei. — 6° Spes praemii. — 7° Exempla sanctorum (cum discretionem circa extraordinaria) et fidelium viatorum etiam saecularium. — 8° Memoria specialis austeritatum quorundam Ordinum regularium. — 9° Frequens victoria de semetipso in minoribus et saepissime occurrentibus sese mortificandi occasionibus quotidianis. — 10° Praesentia Dei. — 11° Non sistere desideriis tantum, sed operari.

**199.** — *Mortificatio interior maximi facienda.* — 1° *Nullus ab ipsa sub quolibet praetextu dispensari debet, si vult ad perfectionem pervenire.* — 2° Curet imprimis anima quae internis sacrificiis sese exercet, ut totis viribus superbiam mactet, ne se credat in sublimiori statu et perfectione quam illi



qui externe etiam sese mortificant. Non raro enim, daemon, qui hodie praesertim externam mortificationem inter devotos destruere conatur, aestimationem de illa etiam variis et continuis astutiis minuendo, illis insinuat opinionem humilitati contrariam, quae se praeferunt caeteris vitam austeram agentibus et forsitan ipsis regularibus austerissimis. — 3° E contra qui externe etiam notabiliter mortificantur, caveant, ne elatione et despectu aliorum qui aliter ambulant in via Domini, sese quasi canonizabiles reputent, et per superbiam perdantur. — 4° Ergo mortifica amorem proprium: noli fratrem tuum iudicare: iudica teipsum, despice teipsum, attende tibi teipso et proficies in humilitate, fraterna charitate et perfectione. — **Monita:** — 1° « Quid prodest quod affligis corpus tuum, quando nihil proficit cor tuum? » (S. Caesar. Arelat. *hom.* 27). — 2° « Quid prodest passiones impugnari a famula, quae pacem inveniuntur habere cum domina? Quid prodest si extra civitatem geramus bella, et intus patiamur excidium? » (S. Euseb. Emissen.). — 3° Erigatur domina, principetur in omnibus; et subiciatur, suppeditetur et conculcetur ancilla (S. Hieron.). Mortifica sensus internos, et non externos tantum: voluntas tua subjaceat Deo eique in omnibus pareat, ut ipsa bene et recte gubernet te.

**200. — Varia.** — I. *Mortificatio non importat verum odium contra seipsum, sed potius amorem.* Sicut infirmus licet brachium suum propter bonum totius corporis ustulari permittat, non tamen odisse

illud sed amare censetur, ita et nemo animam suam odisse dicendus est, licet ferro mortificationis eam propter bonum totius hominis aduri permittat (Rodrig. p. 2, t. 1, c. 5).

II. Mortifica te 1° patienter tolerando quae non quaeris; 2° patienter faciendo quae debes ut perfecte officium adimpleas; 3° patienter te superando in licitis; 4° patienter perseverando in fervore conservando, et recta intentione renovanda.

III. Charitas vera est mater discretionis, maximeque necessaria Directoribus et discipulis. Unde S. Aug. (l. 1, *de Mor. Eccl.* c. 35) ait: « Charitas (apud sui temporis poenitentes praeclaros) praecipue custoditur: charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur: hanc si quis offendit, uno die durare non sinitur. Sciunt hanc ita commendatam esse a Christo et Apostolis, ut si haec una absit, inania; si haec adsit, plena sunt omnia ».

IV. « Illa mortificatio quae fit in communitate, placet Deo » (Hug. Card.). Unde valde erraret religiosus qui austeritates sui Ordinis nihili aut parvi in praxi faciens, ipse eligeret alias mortificationes, quamvis magno cum fervore (falso quidem) illas faceret. Multi hac in re plus minusve decipiuntur, et meritum amittunt et Deo displicent. Merito de religiosis dictum est: « mortificatio maxima vita communis ».

V. Crux mortificationis ascensus est, sive scala, qua de lacu miseriae, et de luto foecis, et de mundo ascenditur in coelum (Hugo Card.).



VI. Cum liceat deliciose et optime degere, si eligatur laboriosa vita et amara, mortificans corpus, holocaustoma est (S. Chrysost.).

VII. Mortificationes negativae seu privativae sunt utiliores et minus periculosae. Tales sunt, v. gr. non aspicere aliquid curiosum, non loqui in tali occasione non necessaria, etc. Et quoad ista non necessaria est obedientia ordinarie loquendo, sed sufficit generalis directio. Secus quoad veras et voluntarias corporales poenitentias, ne decipiamur.

VIII. Quicumque voluntatem Christi addiscere volunt, suam prius voluntatem studiose mortificare debent (S. Joan. Clim.).

IX. Abjice quidquid malitiam spirat, et membra carnis tuae vehementer (et discrete) mortifica (S. Nilus).

X. Poena voluntaria in hac vita suscepta, multo plus purgat, quam poena post mortem inflictata (S. Th. *Opusc. de 1° adv. Chr.*). — Mortificatio sit tibi dulcis in vigiliis festorum et tunc saepe teipsum interius etiam abnega, ut cor tuum ornetur et praeparatur. Minores seu privativae mortificationes sint tibi frequentes in die, tanquam tot jaculatoriae poenitentiales.

XI. Pudor de praeteritis novae conversationis temperat austeritatem (S. Bern.).

XII. Mortificare nos debemus relate ad orationem, curando ut *ariditates* nos non deterreant (fervorem tamen excitemus); ne *distractiones* nos nimis occupent aut perturbent (illas rejiciamus); ne *somnus* nos impediatur (unde tempestive et moderate dor-

miendum, et in oratione resistendum constanter, patienter et fortiter).

## REQUIES ANIMAE.

**Mariam cogita.** — Tanta est pietas tua quanta potestas. Tam pia es ad parcendum miseris, quam potens ad impetrandum quod postularis. Quando enim non compateris filiis miseris, Mater misericordiae? Aut, quando illis opem ferre non poteris, cum sis ipsius Mater Omnipotentiae? (Adam abbas Perseniae, *in Mariali*).

**Mariam invoca.** — O quanta fiducia nobis per te ad Deum esse potest! sicut non potes non sentire per compassionem passiones nostras, cum non possis odisse filios, misericordissima Mater, sic non potes non obtinere eis remedium, si petas, cum ad hoc... ex te nasci voluerit misericordiarum omnipotentis Patris Filius (*ibid.*).

**Mariam laetifica.** — Quotidie legendo vel minimam pagellam de laudibus et virtutibus B. M. V. — *Ut similis servus Filii, servitatem appeto Genitricis* (S. Ildef.).